Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Publii Terentii Comoediae sex

Terentius Afer, Publius

Francofordiae ad Oderam, 1606

Actvs IIII. Scena III.

urn:nbn:de:bsz:31-139622

Visual Library

Manendum eſt ſoli ſine illa? quid tum poſtea?
Nihil eſt? quid nihil? ſi non tangendi copia eſt,
Eho, ne videndi quidem erit? ſi illud non licet,
Saltem hoc licebit: certè extrema linea
Amare, haud nihil eſt. villam prætereo ſciens.
Sed quid hoc eſt, quòd timida ſubitò egreditur Pythias.

ACTVS IIII. SCENA II.

PYTHIAS, DORIAS, PHÆDRIA,
Iambici tetrametri catalectici.

VBi ego illum ſceleroſum miſera atq; impium inueniam? aut vbi quæram? — *Epitaſis vtriuſq; partis in fabula, ſuntq; tantũ narrationes facti.*
Hoccine tam audax facinus facere eſſe auſum? Ph. perij, hoc quid ſit vereor. *(Troch. cata.*
Py. Quin etiam inſuper, ſcelus, poſtquam ludificatus eſt virginem, *(Octona. acata.*
Veſtem omnem miſeræ diſcidit, tum ipſam capillo conſcidit.
Ph. Hem. Py. qui nunc ſi detur mihi, — *Dimeter.*
Vt ego vnguib. facilè illi in oculos inuolẽ venefico?
Ph. Neſcio quid profecto abſente nobis turbatum eſt domi — *Trochailus catalect.*
Adibo. quid iſtuc? quid feſtinas? aut quem quæris Pythia? — *Iamb. tetr.*
Py. Hem Phædria, egon' quem quæram? abi hinc, quo dignus es cum tuis — *Iamb. trim*

Iamb. tetr. Tam lepidis. Ph. quid iſtuc eſt rei?

Py. Rogas me? Eunuchum quem dediſti nobis, quas turbas dedit?

Virginem, quã heræ dono dederat miles, vitiauit. Ph. quid ais?

Trochai. Py. Perij. Ph. temulenta es. Py. vtinam ſic ſint, qui mihi malè volunt.

Iamb. quadrati. Do. Au, obſecro mea Pythias, quod iſtuc nam monſtri fuit?

Ph. Inſanis: quî iſtuc facere Eunuchus potuit? Py. ego illum neſcio

Trim. tetr. Qui fuerit: hoc quod fecit, res ipſa indicat:

Virgo ipſa lachrumat, neq; cum rogites quid ſit, audet dicere

Ille autem bonus vir nuſquam apparet etiam hoc miſera ſuſpicor,

Troch tetr. Aliquid dono abeuntem abſtuliſſe. Ph. nequeo mirari ſatis

Trochaic. Tetramet. Redundat ſyllaba. Quò ille abire ignauus poſſit longius, niſi ſi domum

Fortè ad nos redierit. Py. viſe amabo, num ſit. Ph. tam faxo ſcies.

Do. Perij, obſecro tam infandum facinus mea tu, ne audiui quidem (Troch. catalect.

Py. At pol ego amatores audieram eſſe mulierum eos maxumos,

Sed nihil poſſe: verum miſeræ non in mentem venerat:

Nam

Nam illum aliquò cõcluſſem, neq; illi commiſiſſem
virginem.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

Phædria, Dorus, Pythias,
Dorias.

Senarij.

EXi foras ſceleſte: at etiam reſtitas?
Fugitiue prodi. malè conciliate. Do. obſecro
Ph. oh,
Illud vide os vt vt ſibi diſtorſit carnufex.
Quid huc redditio eſt? quid veſtis mutatio eſt?
Quid narras? paululum ſi ceſſaſſem Pythias,
Domi non offendiſſem, ita iam adornabat fugam
Py. Habeſne hominem amabo? Ph. quidni habeam?
Py. ô factum benè.
Do. Iſtuc pol verò benè. Py. vbi eſt? Ph. rogitas? non
vides?
Py. Videam obſecro, quem? Ph. hunc ſcilicet. Py. quis
hic eſt homo?
Ph. Qui ad vos deductus hodie eſt. Py. hunc oculis
ſuis
Noſtrarum nunquam quiſquam vidit Phædria.
Ph. Non vidit? Py. an tu hunc crediđiſti eſſe obſecro
Ad nos deductum? Ph. namq; alium habui neminẽ.
Py au,
Ne comparandus hic quidem ad illum eſt, ille erat
Honeſta facie, & liberali. Ph. ita viſus eſt.

Error Phædriæ iucundus in fabula, qui Dorũ adductũ ad Thaidẽ putat. Et Scena magna ex parte conſumitur in narrationibus.